

# PALAEASTRA LATINA

## S U M M A R I U M

DE RECTA LINGuae LATInAE PRONUNTATIONE. — De littera C. (Jové).

STABAT MATER DOLOROSA, (H. Martija)  
NOVA ET VETERA, (Jové).

DE «SOCIETATE LATInA». — quae floret Monaci  
(Bavarorum), (J. Lamer).

NARRAGONIA ET CROCODILOPOLIS, (Viator).

CURSUS GYMNASТИCUS, (J. M. Mir).

PER ORBEM, (Jiménez).

DE SCRIPTORUM ETHNICORUM LECTIONE, (Jiménez).

BIBLIOGRAPHIA, (Casals, Jiménez, Fanlo,  
Pastor, Surribas, Mir, Codina).

DE LATRONIBUS FABULA — COROCOTTA, REX LA-  
TRONUM, in operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES, in operculis.


COMPOSITIONES VERTENDAE.

#### IV QUID ERAT IN SCHEDULA



**A**ULUS paulisper est cunctatus, sed tandem filiae victus amore: «Fiat, inquit, quod rogas». Et manu Aethiopem recedere innuit, dum ostiarius deflens prae gaudio imam virginis pallam osculatur. Terentilla autem: «maximas tibi gratias ago, ait, dulcissime Pater». Et ad serum conversa: «Tu vero, noli amplius timere; surge et tuum officium adi, sed cave simile negotium iterum tibi pares, tum enim res minus prospere succedet. Deinde conclavi discesserunt ambo et Aulus fronde obducta schedulam tertium legit in qua erant haec scripta: *Corocotta, rex latronum Aulo, equiti Romano, dominorum saevissimo.* Scio te cum tota domo consilium initse petendi *Bajas*. Si tranquillitatem amas ab incepto desiste, sin autem monitum meum neglexeris, quidquam tibi accidet mali. Hoc tibi mandat qui nullas minas irritias unquam *jactavit*. Corocotta. Quibus lectis Aulus iterum furore exarsit et exclamavit: Pro Juppiter! Quae impudentia! Mihi minari audet iste furcifer! Me a se terreri credidi! Erravit, eique jam ostendam qui sim; id mihi statum est facere». At simul reputavit secum quanta audaciae argumenta Corocotta antea dedisset: «Quod scribit, facere non dubitalbit.» Tum vero timuit ne quid filiae accideret mali; nolebat tamen cedere latroni; quid autem faceret? Rem diu perpendit e; subito: «Inveni, —exclamavit—; non me vinceas, Corocotta».

#### V AULUS M. VIBIUM SAGACEM CONVENT



**U**Rbis custodiae erat praepositus M. Vibius Furax, homo statura brevi, ampio et pingui corpore, ore rotundo, oculis hebetibus, mente obtusa et mira superbia et fiducia, id quod saepe fit in isti- bi ipse *Sagacem* indiderat cognomen. Sed aliter de eo sentiebant Romani, et cognomen ejus parum distortum in *Saginacem* haud insulte mutaverant, quod valet *saginae plenum*. Postridie illius diei quod Aulus Corocottae minas accepérat, *Sagax* noster a prandio in lecto cubabat, cum Aulum ad se venire rescivit. Ambo vetere amicitia conjuncti erant, quam ob rem *Sagax*, etsi requiem sibi interpellari aegre ferre solebat, Aulum comitem exceptit. «Quid igitur, rerum dulcissime? Hac vero hora gravi de causa profecto me invisi!» Tum rem exposuit Aulus et: «A te openi peto, inquit; tu mihi in hoc periculo minime deeris. —Recte putatas, amice. Ceterum perfacile est te curis liberare. Quietō animo ad iter te accinge, et Corocottae minas contemne. Tibi adero et omnia curabo.» Plenus laetitiae Aulus exit domo, at non adeo gavibusus esset, si vulnus vidisset militis qui pro cubiculo *Sagacis* stabat in armis; is enim omnia audierat et singulari modo subridebat.



ANNUS. SCHOL. V. NUM. 43 1934-1935 MENSE APRILI MCMXXXV

# PALAESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesetarum in Hispania, 7 in America et Lusitanía, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

## De recta linguae Latinae pronuntiatione

### DE LITTERA C (*sequitur*)

C) *Argumenta rem suadentia.* — Ex auctoribus adductis tum veteribus tum recentioribus rem extra litem positam censemus. Consilium autem erat quaedam addere argumenta ex ratione deprompta, jam in variis scriptorum testimoniis perstricta. Nam si, ut docuit Freund, ex Vergilio per ranarum cantum novimus c sonum habuisse gutturalem ante omnes vocales, non aliter apparet ex cornice cuius emissio vocum per vocabula *crocire* vel *crocitare* significabatur, ut ipsa verba onomatopeice cantum quasi repeterent.

Interroga etiam *cicadas* cur suo illae nomine sint decoratae. Quae stridenter sine dubitatione respondebunt *ki ki ki*, non *zi zi zi*. At non tantum animalia in nostram sententiam veniunt, inanimae res pro nobis loquuntur in illo versu Vergiliano scintillas imitari co-nato quae igne excutiuntur ex silice:

(Aen. I. 174) *Silici scintillam excussit Achates.*

Num quid senties, nisi c ut k pronuntiaveris?

Notum plerisque judico nomen illud *Caesaris* ex antiqua Romanorum familia processisse quae est *Caesonum*. Jam vero id cognominis *Caeso* compendio scribebatur eodem classicorum tempore per K, neque obsolevit hodieque illa scriptura. Numquid ausit quisquam adserere Romanos aliter pronuntiasse nomen illud *Caeso* omnibus litteris scriptum, et aliter constrictum littera K?

Cum de ae diphthongo agebam, vobis, lectores, proposui illam Ciceronis paranomasiam ab Andrea Rossilli notatam, quae etiam ad

rem praesentem admodum facit: «cum plurimos *caederent*, *caderent* nonnulli» (Philipp. XIV: ad finem.) Ubi est paranomasia si dicimus *zederent*, *caderent*? Sed res adhuc clarius appetet in illa Susannae narratione quam ostendere voluit Divus Hieronymus cum locum illum in Latinum transtulit: «Dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi.» Qui ait. Sub *schino*. Dixit autem Daniel: Recte mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei accepta sententia ab eo, *scindet te medium*. Si pro *skindet* dico *szindet* aut quid simile, quis illorum verborum capiat similitudinem?

Isidorus (7 Orig. 9, 3) hoc modo Apostoli Petri cognomen *Cephae* explicat: *Cephas* Petrus dictus eo quod in *capite* sit constitutus apostolorum; κεφαλή enim graece *caput* dicitur et ipsum nomen in Petro Syrum est.» Quam capitinis originem a nomine Graeco κεφαλή etiam Vossius tradit ex facili mutatione duarum tantum litterarum φ scilicet et ε, non autem aliarum: «malimus — inquit — *caput* deducere a κεφαλή, nam et φ abit in tenuem ρ quomodo a σοφὸς est *sapio*, a καρφῷ *carpo*, etc., et ε non raro in α abit, quomodo a μενῳ est *maneo*, ab ἐνδός *annus*.

Inter idiomata quae linguam Latinam matrem agnoscent ac venerantur nonnulla sunt quae litteram c retinent ante omnem vocalem cum sono gutturali ab Latinis mutuato. Albanicum habet ex centum *Kint*, ex civitate *Kutet*; Logodoricum in Sardinia ex cera *kerra*, ex cervisia *kervija*, ex cimice *kimiche*. Praeterea Basconicum accepit ex Latinis *paque* ex *pace* et *pike* ex *pice*.

Antequam rem finio quid contigerit narrabo mihi audienti hominem qui c Latinum ex more patrio apud Catalaunos pronuntiavit s. Quidquam legebat ille ad perfectionem religiosam attinens, et rem satis plausibilem atque imitandam referens, ecce sententiam ausculto quae satis me conturbavit: «*id autem insipientium est*». Ego autem mihi: qui fieri potest — inquam — ut res adeo laudanda insipientibus adscribatur; vel scriptor delirat vel ipse non intellego. Venio subinde ad librum et adnimadverto non delirasse scriptorem, sed lectorem *insipientium* dixisse pro *incipientium*. Num quis crediderit has verborum confusiones exstitisse aurea aetate litterarum Latinarum? Sed jam satis superque de simplici c dixisse reor.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.



# STABAT MATER DOLOROSA

(*Ante imaginem La Pietà quam effinxit Michael Angelus*)

Cernite mortales, afflictam cernite Matrem  
 Complexam Nati membra cruenta mei!  
 Tam mihi dilectus, mihi tam super omnia carus  
 Unicus, ecce meus Filius ille perit.  
 En video manibus pedibus conspersa cruore  
 Vulneraque et nervis ossa soluta suis.  
 Et video divum pectus mucrone foratum  
 Ex quo permixto sanguine fluxit aqua.  
 O lux caelorum, pulcherrima Patris imago!  
 Splendor ab aeterno clarior igne latet.  
 Hei mihi! Qualis ades: quae causa indigna serenos  
 Foedavit vultus? gratia frontis ubi est?  
 Sanguine concreti pendent super ora capilli.  
 Totaque nil formae forma prororis habet.  
 Cur ego tot plagas aut cur haec vulnera cerno?  
 Qua redis ex pugna, dic mihi, dulcis amor?  
 Unde venis, Fili, quibus, heu, sic fessus ab oris  
 Et caesus plagis post tua fata venis?  
 O dirum facinus! tene, mea pignora, Nata,  
 Perdere crudeles sic potuere manus...!  
 Quid faciam infelix? Mihi quis medicabitur? esse  
 Quaeve meis poterit jam medicina malis?  
 Excipit hibernas clementior aura procellas,  
 Nulla venit rebus lenior aura meis.  
 Quid, genito amisso, matri quid denique restat?  
 Mors pariter vitam non rapit atra meam?  
 Vertite carnifices, in me convertite dextram:  
 Non ego me poenis supplicisque nego.  
 Impie vir, terebra maternum cuspide pectus,  
 Unaque sors corda jungat amica duo.  
 Quo sine te vadam, quo nunc mea lumina vertam?  
 Tu Pater et Natus, tu mihi Sponsus eras:  
 Quod mihi perfugium portusque furentibus undis?  
 Tu quoque spes omnis vitaque solus eras.  
 Infelix plangam nec erit solamen in aevum..  
 Heu sine Te, Fili, cur mea vita manet?  
 . . . .  
 O mulier fortis! qua Tu virtute dolorem

Hunc perferre scias nemo referre queat,  
Nec cantare modis nec verbis arte solutis  
Dicere nec calamo pingere quis valeat?  
Quae Simeon dixit memori sub pectore servas,  
Et completa senis praescia verba vides.  
Fixus hic est gladius, dolor immutabilis haeret,  
Viscera qui lacerat disgratiatque tua.  
Ecce suo tecum rerum natura Parenti  
Ingemit et tanto funere laesa dolet.  
Ora tegit Phoebus, tellus convulsa dehiscit.  
Et gelidos cineres tangit et ossa dolor:  
Unus ego immotus funus tam lugubre possim  
Et tua non udis ora videre genis?  
Ah! planctu doleam, doleam mea crima, vespre  
Lancea, crux, sceleris sunt monumenta mei.  
Ipse ego causa sui, quae fles ego vulnera feci,  
Obruit et miserum dira procella caput;  
Ad te configio et supplex tua numina posco:  
Criminis admissi poenitet esse reum.  
Jamque animo penitus sensuque priore relicto  
Exoro veniam: suscipe, Virgo, preces.  
Orantis pacem liceat suspiria sontis,  
O afflita Parens, jungere nostra tuis.  
Humida namque pias impellunt lumina guttas  
Atque madent lacrimis ora sinusque meis.  
O utinam tanto valeam tabescere luctu!  
Felix si merear, imbre cadente, mori!

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

## NOVA ET VETERA

### Alimenta minus commendanda

Hic medici partes sumere non intendimus, minimeque (1) lectors a quibusdam cibis avertere ad quos fortassis palatum habent jamdiu assuefactum. Id caput (2) est nostris lucubratiunculis, quod pariter cum rebus scitu utilioribus sermonem Latinum adhibere no-



Oarea

verint qui nos legent in quolibet rerum genere. Cum autem in numero praecedenti quaedam notavissimus alimenta summe altilia atque salubria, nobis visum est rem integrum non fore, nisi de alimentis minus com-



Anisum

mendandis, eisque non semel nocivis, verba etiam fecerimus.

Venatorum praedae (3), quae adeo appetuntur, plerumque decoctioni


(4) obsistunt ac proinde stomacho minus probabiles evadunt. Vides hanc coturnicem? Hujus familiae aves quae apud nos aliquo in pretio sunt, apud Romanos contemptui habitas esse constat ex Juvenale 12, 97, et multo magis ex Plinio (Hist. Nat. 23, 33). Hic enim ait: «Coturnicibus veneni (h. c. ellebori) semen gratissimus cibus quam ob causam damnavere mensae simulque propter comitiale morbum (5) despici suetum.



Convolvoli

Molluscorum genus quod parum est decoctile reprezentat haec ostrea quam habes ob oculos. Illa, quamvis carne grati saporis et ditiorum mensis conquisita, non semper censentur appetenda. Plinius inter ostreas commendabat spissas et crassiones, neque in luto captas, neque in arenosis locis sed solido vado.

In crustaceorum genere eminet locusta marina cuius figuram etiam hic praebemus; crusta fragili obiecta representantis modo fluentis porrectis cornibus quae sunt propria rotunditate praepilata. Vivit petrosis locis; ea, quamvis admodum conquisita et caro pretio, non videtur nimium in mensis suadenda.



Locusta

da. Satis forte alimentum sunt farcimina (6) quae ideo cum moderamine sunt etiam comedenda. Quod ad vegetalis attinet ponimus primo fungos seu bolletos (7) qui sunt maxime cavendi. Ut medici loquuntur, meliores nihil valent. Si nihilo minus, fungos manducare oportet, curandum est ut bene sint praeparati.

Asparagi (8) non facile decoquuntur in stomacho, etsi facile coquantur, si veteri proverbio fidem adhibemus; quo utebantur ad exprimendam festinatae rei velocitatem: *velocius quam asparagi coquantur*. Narrat Suetonius Caesarem



Asparagi




Coturnix

Augustum frequenter asparagis usum esse. His adde ut parum comedendum salgam-

morum (9) omne genus, quacumque scilicet conditanea ad victimum adservantur in vasis, interdum sicca saepe cum liquamine et jure ut pira mala rapae, cet. Ea autem mensis apponuntur ad appetitum excitandum.

Nihil de  
de aniso (10)  
aut de liquo-  
ribus spu-  
mantibus aut  
de nimio ta-  
bacco loquar,



Farcimen

quae fere omnia omnino sunt mensis amandanda si quis multos annos sanus corpore et mente vivere exoptet.

(1) Y mucho menos. — (2) Lo principal. — (3) Caza.

(4) Digestión. — (5) Epilepsia. — (6) Embutido. — (7) Hongos. — (8) Espárragos. — (9) Conservas. — (10) Anís.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

## DE «SOCIETATE LATINA» quae floret Monaci (Bavarorum)

De hac societate ut lectoribus hujus Palaestrae pauca referrem, a me petivit Emmanuel Jové, ejus moderator; cui libenter morem gessi ratus e re esse «Palaestritas» novisse studia illorum viorum Manacensium.

Condita est «Societas Latina» die 4.<sup>o</sup> mensis Maji anni 1932 moderante *Georgio Lurz*, tum rectore gymnasii Guilelmini (Wilhelmsgymnasium), hoc tempore jam emerito; qui inter se conjunxit non parvum numerum amicorum linguae Latinae. Non puto opus esse negare socios ad tantam stultitiam progredi, ut sermoni patrio preeferant linguae Latinae usum; quod si voluissent, risum movissent neque quisquam eos secutus esset. Immo id student; ut usui sermonis patrii, quem imprimis diligunt et colunt, addant usum linguae Latinae quasi *linguae auxiliariae*, quae pariter intellegatur in toto orbe terrarum («Welthilfs-sprache»).

Quod cum comperisset, statim me sodalem illius societatis inscribendum curavi, cum ejus studia probanda esse mihi viderentur. Nam a juventute arti antiquorum Graecorum et Romanorum cognoscendae studui. (1) Quod qui facit, eum, ut libros de hac re conscriptos legat nec non ut excavationes et musea imprimis in terris mediterraneis suis oculis videat, necesse est has linguis didicisse: Graecam, Latinam, Britannicam, Gallicam, Germanicam, Hispanicam (non est quod lectoribus hujus Palaestrae in me-

moriā revocem excavationes a Schulten viro clarissimo Numantiae factas, magnificos aquae ductus, qui exstant Segoviae et Tarracone, cetera.) Italicam, neograecam. Tantae molis est novisse artem antiquam! Quid autem quod nunc Dalmatae (Croatii), Serbi, Hungari, alii suis utuntur linguis ut enarrent, quid in terris suis repertum sit? Russia meridionalis est plena operum magnificorum artis Graecae. Quae inventa antea publici iuris fiebant im periodico, quod inscribatur «Compte rendu de la commission impériale archéologique de St. Petersburg», quod nemo legere non poterat; ex quo autem periodicum russice conscriptum «Zvěstiga imperátor skoi commissii archéologiceskoi» prodibat, quasi in muro impenetrabili circundabantur illa studia Russorum.

Neque tamen agitur de archaeologia solum, immo de omnibus virorum doctorum et theologorum laboribus. Velut concilia medicorum fiunt internationalia, ubi deliberatur de phthisi, de carninomate sanandis; tamen nemo nescit parum saepe relata intellegere sodales illorum conciliorum, quod non utuntur *unica* lingua, quam *omnes* sciant, nempe Latina.

Sed etiam ulterius progredi licet. Velut lingua auxiliaris internationalis cursus publici est Gallica; propterea epistolae «certificatae» (hispanice), in Hispania non significantur litera C neque «eingeschriebene Briefe» (germanice) in Germania littera E, sed ubique in toto

(1) Doct̄or clarissimus atque humanissimus auctor est trium operum: *La civilización del Oriente antiguo: La civilización griega; La civilización romana* que omnia ex Germano vertit in Hispanum Dr. D. Miral; de his in *Bibliographia* E. Jové.

orbe terrarum littera R, quod Galli illas litteras «recomandées» vocant. Sunt autem, id quod pro certo scio, qui malint adhiberi in *Unione postali universalis* («Weltpostverein») linguam Latinam.

Jam vero obstant difficultates. Nam utrum nomen epistulis hujus generis datum, secundum usum Hispanicum «certificatae» an secundum Gallos Italosque «recommandatae»? Innumerabiles vero res hisce demum temporibus inventas latine dici fortasse omnino negabis velut

acatena	<i>das Kettenlose Fahrrad,</i>
acorazado	<i>der Panzerkreuzer,</i>
adaptar al cine	<i>verfilmen,</i>
adaptar al cine parlante	<i>vertontfilmen;</i>

anilina, aspirina apud Hispanos Italosque feminini generis sunt, in Germania vero neutrius; qui autem Germani non noverint linguas Hispanorum vel Italorum mirabuntur non dici anilinum, aspirinum. «Sport» est sine dubio originis Latinae; nam derivatur a «disportus» (nempe re gymnaستica disportantur cogitationes antea in unam rem directae). At «disportus» est vox medii aevi, id est, sermonis paucis noti. Itaque erant qui vocem neolatinam «sportus» proponebant. Tamen in hac re tuo jure haerere potes. Nam qui Latinitatem medii aevi didicerint lamentabuntur vocem vere Latinam injuria mutilari; qui non didicerint mirati interrogabunt cur praefixum sit *di*—.

Quibus in difficultibus adjutrix existit Societas Latina Monacensis. Nam in periodico suo, de quo vide infra, edit parvulum «lexicon neo-latinum», quo demonstratur quomodo bene et perspicue dicantur res antiquis Romanis ignotae. Quod lexicon in fasciculis I 4, II 1 publici juris factum si inspicias, noli puta-

re opus definitivum. Immo est specimen amicis linguae Latinae, qui sunt in toto orbe terrarum, proponendum, ut quam plurimi quid laudent, quid vituperent libere proferant. Velut ego ad difficultates, quas supra dixi, tollendas suaserim, ut addantur parvulae notae, ex. gr.; anima (secundum hisp.), disportus (vox Latina medii aevi). Sed de his rebus alii judicent. Postea vero, si inter singulas nationes consensus factus erit, edentur lexica: Britanico-neolatinum, Gallico-neolatinum, cetera, atque omnia cum eodem textu neo-latino. Tum omnes scient, quomodo neo-latine dicant, ex. gr.: vocem vapor (hisp.). Dampfer (german.) steamer (britt.), ἀτμόπλοιον (graece): navis vapore mota vel vapor vel vaporator (de qua re adhuc lis est); fortasse libera dabitur facultas vel secundum Latinitatem classican potius scribendi, i. e. navis vapore mota, vel potius secundum usum horum temporum, i. e. vapor.

Epistulae Societati Latinae dandae inscribantur «An die Societas Latina, München 8, Maximilianeum». Sodales solvunt quotannis binas marcas Germanicas in gyro postali (hisp. cuenta en la oficina de giros postales, germ., Postscheck Xonto) Monacensi 2 88 88 vel ternos schillsgos Austriacos in aerario comparisorum postali (hisp. Caja de Ahorros, germ. Postsparkasse) Vindibonensi C 119 226 vel 2, 5 francos Helveticos in gyro postali Turicensi V III 22 032. Qua pecunia transmissa accipiunt periodicum Societatis, quod eodem nomine dicitur «Societas Latina», gratis neque sportula postali percepita. Quod qui legent Hispani amici linguae Latinae spero eos laetatueros.

*Li si e*

JOHANNES LAMER.

## Narragonia et Crocodilopolis

### ACTUS TERTIUS

#### III 5. BUFO *solus*

**BUFO.**— Homunciones istos lepidos et molles quasi ceram liquidam vel prunum nimis maturum, sicuti mihi placuit, possum ludificari; qui, nisi pro vate me gerere in mentem mihi incidisset, certo me capite amputasset vel combussissent. Omnes stupidiores sunt simiis Circo Sarrasani detentis. «Mundus vult decipi»<sup>(1)</sup> Attendite (*ad theatrum*), quam bene in statione utar equitibus! Nonne haec est ala equitum excellentissima? Omnes milites robustissimi, equi alacerrimi, vestitus splendidissimi! Vigilate, equites, ne quis in urbem irrepat! Botello quamvis exiguo Crocodilopolim insinuato totam turmam

arbori infelici statim suspendam. Intellexitine? Sicut constitui, ita fiet. (*circa scaenam currit strepitu quodam auditu*) Quis tu? Quo tendis? Crocodilopolim? Syngraphumne habes?—Sine syngrapho? Cave, ne amplius pregrediare. Non habes? Redi, jubeo. Redi aut occideris. —Bene, apage! Te recipet! Hic sine syngrapho nemo veniet in urbem, ne catus quidem scabiosus. —Sed alterum quemdam misellum video appropinquantem, qui erit examinandus. —Babae! herus meus est, Baro rex! —Abi in malam crucem! Undenam festinanter prompsit barbam promissam?

#### III 6. BARO *barba longa ornatus* BUFO

**BARO.**— Abhinc triennium fere castra posuimus contra Crocodilopolim et non neminem ducem illustrissimum hoc tempore amisimus, praecipue Grobianum, qui, cum eruptionem paucis mensibus ante instituisse, pyrobolo ab aeronauta quodam defecto disinceratus perfit juxta vallum castrense. «Multis ille bonis flebilis occidit»<sup>(2)</sup>

**BUFO.**— Quid? Per tres fere annos in hac statione fuisse dicor. Perscrutari nolo hanc diuturnitatem; sed me inter hos annos nihil cibi aut potus summissis scio certissime; alterum triennium hic me posse manere arbitror.

**BARO.**— Gaudeo, qua constantia permaneas in eadem statione, ad quam tribus ante annis te misi.

**BUFO.**— Per omnes pyramides et obeliscos Aegypti ex illo tempore me non movi vestigio. Sed quae alii milites nostri interim fecerunt? Tanta temporis diuturnitate, tantis copiis militum optime instructorum, tot tormentis bellicis ab Arminio tibi missis totam urbem ruinis dum dudum collapsam esse censeo.

**BARO.**— Impetum omnibus copiis in urbem facere et omnes aut perire aut Crocodilopolim expugnare nuperisse constituimus. Tu interea in statione manebis et attendes, ne quid frumenti in urbem subvehatur. «Ceterum censeo Crocodilopolim esse delendam». (*abit*)

#### III 7. BUFO *solus*

**BUFO.**— Cavete (*ad theatrum*) ne quis vestrum spirulam vel lardum vel aliud quidquam inferat clam in ur-

bem; secus ei mecum erit negotium. (*ex scaena posteriore exoritur strepitus magnus, concursus subi-*

(1) *Seb. Frank. Paradoxa*, n. 236. — (2) *Hor. Od. I, 24, 9*.

*tus, clamor continuus) Sed audite! Quantum tumultum, quot clamores! Urbs expugnata tenetur, alii conclamant victoriam, alii hospitium. Nos interim in statione permanebimus interclusum incolas commeatibus. (prospicit) Euge! Vexillum Narr-*

*goniae nunc proponitur in arce summa! —Ehem! Baro ipse hoc loco maneat diutius! Providebimus, ut et nos nobis captemus portionem praedae haud ita exiguum (abit celerime et aulaeum premitur).*

#### ACTUS QUARTUS (*prospectus Narragoniae*)

##### IV 1, BARO, BUFO *veste itineraria indutus redit in Narragoniam patriam.*

**BARO.** —(*extrahit ex sinu et inspicit horologium aureum portatile*) Nunc tandem, Bufo, advenit hora, qua Narragoniam patriam revideamus. Proinde virorum antiquorum exempla et mores majorum secuti procidamus et solum patriae osculemur. (procidunt et terrae oscula figunt).

**BUFO.** —(*exsilit prior; sibi loquitur*) Quid hoc sibi velit, intellectu regi subiecto frustra comprehendo.

**BARO.** —Vestes mutemus et viatorum instar introeamus in palatium, ut praeter omnium exspectationem superveniamus Berberitiae reginae conjugi meae!

**BUFO.** —Hoc opus erit minime, mi rex. Nos, cum perdiu asuerimus nemo dignoscet.

**BARO.** —Omnibus plane ignotus desidero, ut audiam, quae res nobis absentibus in Narragonia evenerint, et imprimis quomodo se habeat mea familia.

**BUFO.** —Et ego rerum novarum sum cupidissimus. Sed ecce, (prospicit) agricolam illum huc advenientem, si regi placuerit, interrogando examinare poterimus.

**BARO.** —Nihil obstat per me.

##### IV 2, BARO, BUFO, ALASTOR *advenit*

**BUFO.** —Salve popularis! Ubi habitas? Nihilne novi sub luna patriae tuae?

**ALASTOR.** —Habito in Narragonia et Salamandriae quidem, apud quam urbem nunc versamini.

**BUFO.** —Narragoniae civem te esse, non Indianum aut Zulucafferum aut Papuan concedo; responsum exspectavi hominis prudentioris.

**ALASTOR.** —Miror, quod optas, ut tecum colloquar prudenter.

**BUFO.** —Cur? Mene nosti?

**ALASTOR.** —Haud ita bene; sed in cauponā illa, cui est nomen «Cervus Aureus», chartis vel conis aliquotiens lusimus; te conorum erectorem puerum esse memini.

**BARO.** —Hic agricola est memoria rerum tenaci.

**BUFO.** —Age, popularis, serio alter cum altero loquamur! Nihilne audisti de bello Crocodilopolitano?

**ALASTOR.** —Aliquando de hoc bello paullisper somniavi. Sed quid agitis hic?

**BUFO.** —Advenae sumus peregrini.

**ALASTOR.** —Vos estis adventicii? Curnam non mansistis domi? Satis superque errorum apud nos grassantur. Sed unde venistis?

**BUFO.** —Venimus ex terra cui est nomen Paropamisidia. Idemne nomen terrae est hieme, quo tempore dies multo breviores sunt quam media aestate?

**VIATOR, S. D. V.**

## CURSUS GYMNASTICUS

*Est enim (1) amicitia (2) nihil aliud nisi (3) omnium divinarum humanarumque rerum (4) cum benevolentia et caritate (5) consensio (6); qua (7) quidem (8) haud scio an (9) excepta sapientia nihil melius homini sit a dis immortalibus datum. Divitias (10) alii (11) praeponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam (12) voluptates (13). Beluarum (14) hoc quidem extremum (15), illa autem superiora caduca et incerta (16), posita non tam in consiliis nostris quam in fortunae (17) temeritate. (Cic., De amicitia, 6, 29).*

### ADNOTATIONES

1) *Enim*: Semper voci postponitur atque in primis ad rem, de qua agitur, declarandam aut probandum; inservit; hic amicitiae definitioni apponitur tanquam demonstratio illius quod proxime Tullius edixerat: «Ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos jungeretur».

2) *Amicitia*: Substantiva in *ia*, *itia* desinentia qualitates abstractas significant atque in primis quae ad hominem, ad animum, ad virtutem, cet. referuntur: *intelligentia*, *prudentia*, *laetitia*. Haec positio in *ia* radicali adjectivorum conjungitur sive unam terminationem habentium: *audax* (*audac-s*)—*audac-ia*; sive tres: *angust-us*—*angust-ia*,

3) *Nihil aliud nisi*: Haec est vera Ciceronis locutio, apud illum enim nunquam reperitur *nihil aliud quam*. Nota pariter Tullium dixisse *nihil aliud facere nisi*: «*Nihil aliud egerunt, nisi me ut oppriment*» (Ad fam. 3, 24, 1); Livium autem et recentiores scriptores locutionem *nihil aliud facere quam* adhibuisse: «*Sed a licitore nihil aliud quam prehendere prohibito*»... (Liv. 2, 29, 4). (1)

4) *Res divinae*: *Nihil aliud sunt nisi religio in sensu subjectivo i. e. studium seu amor religionis*.—*Res humanae*, ea complectuntur quae in moribus et rei publicae administrationi versantur;—*que strictiorem notat concordiam inter res divinas et humanas ad perfectam amicitiam constituendam*.

5) *Caritas*: Est amor ingenuus, nobilis amicitia juncta venerationi, estque rationalis animi vis atque impetus; *benevolentia* autem aliquod studium erga alium tantum comprehendit.

6) *Consensio*: Substantiva in *io* (femina) finita saepenumero ex supinis verborum promanant, non nulla tamen ex praesente indicativo. Haec substantiva notionem in verborum radicali comprehensam quasi emortuam, vividam et in actu exercitam reddunt, ac subjectum pariter commonstrant in actione versans. —*Consentire* (*consensio*) dativo aut ablativo, *cum* praeposito, effertur.

7) *Qua... nihil*: Ablativum comparativum nequit in *quam* mutari si terminus comparationis est relativum: «*Phidiae simulacula, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, cogitare tamen possumus pulchriora*»; cum aliquem vel aliquid qualitatem in summo gradu possidere designamus: *nive candidior, melle dulcior, vita carior*; cum *alius* repetitur in oratione hac vel simili ratione: «*Litteras tuas sexcentas uno tempore accepi aliam alia jucundiorem*»; cum sibi metris aliud comparamus: *Cicero Cicerone jucundior*; ac denique in locutionibus: *opinione, spe, spectacione celerius, similia*. (2)

8) *Quidem*: Respondet particulae Graecae γέ, ac sicut illa semper enclitica est inservitque ad praecedens verbum notandum, nam in eo accentum collocans,

(1) Cf. Menge, *Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik*, 496, Anm. — (2) Cf. Menge, *Repetitorium*, 100 Ann. 3. Juret, *Système de la syntaxe lat.*, p. 291 C.

attentionem ad illud attrahit. Hanc virtutem continet in primis *quidem* in unione cum relativis: «Themistocles, qui *quidem*»; cum particulis quae certitudinem notant: *certe, profecto quidem* et conjunctionibus: *si quidem, ut quidem*: «Sed alias ubi sit animus, *certe quidem* in te est» (Cic. Tusc. 1, 70). Cum aliquid vividius asseritur pronomen personae accepit: «P. Scipio non multum *ille quidem* nec saepe dicebat, sed...» (Brut. 34, 28); atque nominibus interponitur: *Philippum quidem Macedonum regem...* «*Appium quidem veterem illum*». (Tusc. 5, 38, 108), «Aristoteles *quidem* ait». (Tusc. 1, 33, 80) (3).

9) *Haud scio an*: Dubitationem quandam et modestiam continere videtur haec formula atque optativo Graeco cum ἀντί aequatur. In locutione asserente verte: *no sé si no, quién sabe si no*, in negante: *quién sabe, tal vez.* — Nota locutiones: *Fortasse verum est*: verius est quam falsum; *Forsitan verum sit*; forte et falsum est; *Haud scio an verum sit*: forsitan verum sit, sed arbitror idque affirmo rem non ita esse (4).

10) *Divitiae*: Sunt bona possessa, ampliae fortunae quibus magna abundancia perfruitur: «Expetuntur divitiae cum ad usus necessarios, tum ad perfruendas voluptates» (Cic. De offic. 1. 8)—Nota *dis, ditior, ditissimus* non esse apud autores aureae aetatis usurpata, sed *dives, divitior, divitissimus*.

11) *Alii... aliī*: Adhibentur in simplici juxtapositione vel oppositione: «Res *aliis indigna, aliis ridicula* videbatur». In adaequata partium enumeratione habes: unus, alter, tertius (cfr. De sen. 15).

12) *Divitias aliī praeponunt, bonam aliī valetudinem, — aliī potentiam, aliī honores, — multi etiam voluptates*: Habes perfectam undique *concinnitatem*, quam tanti faciunt amantque Latini. *Concinnitas* (5) autem est ea orationis dispositio, qua eodem fere modo locutiones inter

se respondent, ac saepenumero et verba aequaliter numerari atque disponi videntur ut strictior unio inter periodi partes habeatur: «Nihil mihi ad exestimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius» (De orat. 2, 49, 200).

13) *Etiam*: *Aun, basta, virtute* pollet affirmandi cum maxima gravitate: «Sunt quaedam officia *etiam* adversus eos servanda, a quibus injuriam acceperris». Quoque eam vim et gravitatem non habet, conjungit quidem, atque semper postponitur: «Quod ego facio, tu quoque facias velim».

14) *Beluae*: Sunt animantia—mente destituta—atque homini opponuntur et de magnis animalibus praesertim dicitur: *pecudes de domesticis, bestiae autem et ferae* sunt homini inimica.

14) *Hoc quidem extremum*: Refertur ad voluptates praeponere. — *Hoc quidem, illa autem*: hae particulae inter se opponuntur sicut et membra.—Autem post unam alteramque vocem collocatur atque adversativa et copulativa vim habet; diversitatem tamen aliquam potius quam veram oppositionem cum praecedentibus saepe notat; quae quidem diversitas aliquando minima est. Inservit haec particula correctioni, argumentationi, parenthesi, rei interruptae continuationi: «Vercingetorix principibus pecunias, civitati autem (sed) imperium totius provinciae pollicitus est».

16) *Incorta*: Ea sunt quae nullam prorsus habent rationem qua certitudinem comparari possit, dum *dubiis* quaedam inesse possunt quibus ad agendum moveamur.

17) *Fortuna*: Non est fatum omnino caecum in agendo; ideo Tullius dixit *temeritas fortunae ut eventus fortunae vacillantes significaret*. — Aliud habes concinnitatis exemplum: «Tam in consiliis nostris, quam in fortunae temeritate».

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

(3) Cfr. Gandino, *Lo stile latino*, III, 1, 14, Paravia-Torino.—(4) Menge, *Repetitorium*, 479.—(5) Cfr. Menge, 541, 3, d; 542, 5. Ann. 2; Gandino, *Lo stile latino*, II, 4, 14.

## PER ORBEM

### DE ALTERO BUDAEANO CONGRESSU

Societas Budaeana de qua saepe jam sermonem instituimus laboribus in dies crescit atque fama. Classicorum Latinorum Graecorumque collectionem mira celeritate prosequitur, cursus maritimos quotannis instituit, scientifica comitia convocat, quorum prima Nemausi duos abhinc annis, altera Nicaea Narbonensi (*Nice*) a die IX videlicet in diem V Kal. Majas celebrare intendit. Conspectum ergo alterius liceat expromere, prioris enim cfr. Palaes. Lat. a. II, p. 137.

Congressus academiis quinque seu sectionibus constat ita dispositis:

**Academia Philologica.** —PRAEFECTI: *Dni. P. Mazon et A. Ernout.* TABULARIUS: *Dnus. Chantraine.* RELATORES: 1) *P. Collart*: De papyris relate ad traditionem textuum; 2) *J. Marouzeau*: De rationibus interpretandi textus; 3) *Fr. Villeneuve*: De Horatio poeta.

**Archaeologiae academia et artium.** —PRAEFECTI: *Dni. Ch. Dugas et E. Albertini.* TABULARIUS: *Dni. Demangel et Gagé.* RELATORES: 1) *J. Audiat*: Ars ceramica apud Graecos; 2) *J. Gagé*: De arte provinciarum Romani Imperii; 3) Archaeologicae effossiones atque inventiones...

**Academia studiorum Byzantinorum.** —PRAEFECTUS: *Ch. Diehl.* TABULARIUS: *R. Guiland.* RELATORES: 1) *H. Grégoire*: Epos

Bizantinum; 2) De imperio Byzantino Paleologorum tempore.

**De ratione instituendi academia.** —PRAEFECTI: *Dni. Desrousseaux, G. Cayrou, Ch. Jacquier.* TABULARIUS: *M. Lacroix.* RELATORES: 1) *H. Villat*: Scientiae et Literae; 2) *Ch. Jacquier*: De praestantia humaniorum litterarum in scholis mediae institutionis; 3) *M. Lacroix*: De ratione docendi linguas classicas.

**Academia de "humanismo".** —PRAEFECTI: *Dni. A. Rey, E. Gilson, J. Plattard.* TABULARIUS: *P. Ducassé, P. Vignaux, R. Lebègue.* RELATORES: 1) *P. Ducassé*: De humanismo relate ad scientias Graecas; 2) *A. Dies*: Plato et suae aetatis scientiae; 3) *Gilson*: De humanismo philosophico medii aevi; 4) *Dain et Grat*: De traditione manu escripta litterarum classicarum medio aevo percurrente; 5) *Lebègue*: De edendis epistulis nondum editis humaniorum hominum; 6) *Plattard*: De humanismi historia ab anno 1453 usque ad saec. XVII; 7) *J. Malye*: De humanismo classico hodiernis temporibus.

Collationes generales moderabuntur *Dni. Rivaud et Eug. Albertini.* *Dnus. L. Bodin* munus obiit totius congressus a secretis (43 rue de Tivoli) Dijon (Côte d'Or).

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

N. B. Lectoribus commendamus hos libros ab *Ed. G. Chiantore* (*Torino*) recens acceptos: *CICERONE*, *Catilinarie* (*A. Pasdera*); *Pro L. Archia* (*R. Cornali*). — *LIVIO*, *Storie* I, I, II (*E. Cocchia*). — *CORNELIO NEP.*, *Vite e Vocabulario* (*G. Cortese*).

## De Scriptorum Ethnicorum Lectione

Sociorum preces non semel tantum ad nos pervenerunt ut nostram de lectio-ne auctorum quos classicos vocant ap-e-riremus sententiam. Res haud sane facili-s quaestio[n]em adeo complexam paucis lineolis persolvere; tamen ne diutius lec-tores angantur animo, qui haec quae-sie-reunt, principia generalia proponam quin opus sit de singulis auctoriibus disqui-re.

Lectio librorum lege naturae vel lege ecclesiastica prohiberi potest: lege natu-rae ex periculo peccandi quod in uno-quoque differt legentium; lege Ecclesiae cuius est libros ratione magisterii noc-i-vos declarare ac decernere, eosque vi-potestatis jurisdictionis Christianis omni-bus vel quibusdam interdicere ac prohibere. Nihil de lege naturae, sed tantum de lege ecclesiastica quae naturae legem declarat ac definit. Qua ergo ute-mur norma ut libros ab Ecclesia prohibitos dignoscamus?—Ea sc. ab Ecclesia stabi-lita: «*Minimum enim ut libri alicujus lectio licita dici tuto possit, haec duo con-stant oportet: scilicet neque adscribi in Indice vetitorum librorum neque contineri aliqua ex iis classibus quae per Decreta generalia universim improban-tur».* (1) Jam vero classicorum ethnicorum opera nul-libi in Indice contenta reperimus. At in Decretis generalibus nonne continentur? Haec decreta in C. J. C. c. 1399 habe-mus conlecta. Ex hoc canone paragra-phum IX tantum transcribimus, in quo classicorum opera maxime contenta esse pos-sunt. Ita se habet: «*Ipsa jure prohiben-tur... libri qui res lascivas seu obscae-nas ex professo tractant, narrant, aut docent».* (2) Quem canonem ut recte in-terpretetur, juxta can. sextum, ad «Offi-ciorum ac munierum» Leonis Pp. XIII Constitutionem recurrentum censeo fon-tem verum et authenticum omnium fere

legum de prohibitione librorum modo vigentium. Laudata vero Constit. «*Libri, ait, auctorum sive antiquorum sive recentium, quos classicos vocant, si bac ipsa turpitudinis labi infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, permit-tuntur, quos officii aut magisterii ratio excussat; nulla tamen ratione pueris vel adulescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut p[re]aelegendi erunt».* (3) No-temus verba *bac ipsa turpitudine infecti*, quae idem sunt ac «*libri qui res lascivas seu obscaenas ex professo tractant, narrant aut docent...*» (4), quae verba uti in Const. Leonis Pp. ita et in C. J. C. con-tinentur. Unde sicut medicis et confessariis ratione officii licet lectio librorum aliis fortasse jure naturae vetitorum, ita propter sermonis elegantiam et proprie-tatem ratione magisterii quibusdam per-mittitur lectio scriptorum ethnicorum la-be forte turpitudinis infectorum. Adde quod classici scriptores res lascivas qua-tenus lascivas saepe saepius non tractent neque ex professo, uti auctores expo-stulant (5). Ipsi enim liberiori vitae adsue-ti majori quoque verborum licentia utun-tur ut fit in Plauto, in Terentio...; at ser-monem de rebus obscaenis ex professo seu data opera raro usurpant.

Quid ergo de sententia illorum qui omnes gentilium libros Christianis vetitos putant? Hi Constitutionum Apostolica-rum hanc adducunt autoritatem: «*Omnibus gentilium libris te oportet abstinere; quid enim tibi cum alienis sermonibus aut legibus aut falsis prophetiis, quae quidem homines leves a fide detorquent?*» (6) Quod tamen Latinitatis magistris haud con-gruere videtur, quorum est «*linguam (Latinam) scientia et usu habere percep-tam, quod non tam humanitatis et litera-rum quam religionis interest»* (7).

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

(1) cf. Praef. Ind. Libr. Probib. Romae, 1925 p. XIV;—(2) C. J. C. can. 1399, 9;—(3) Constit. Officiorum ac munierum, VIII Kal. Febr. MDCCXCVI, cap. IV;—(4) id. id.—(5) Ubach Theol. Mor. I, n. 393; Neidlm., Sum. Theol. Mor. De p[re]ceptis, 708, 9;—(6) Constit. Apost. lib. I, c. 6;—(7) Pius PP. XII, Officiorum omnium (cf. AAS. 1922, p. 452).

## Bibliographia

**Stummer:** *Monumenta historiam et geographiam Terrae Sanctae illustrantia.* Bonnae, P. Hanstein. 1935, p. 96 (Flor. Patr. fasc. XLI)

Haud equidem exili lector afficitur animi voluptate cum antiqua Palaestinae praeclara loca ob oculos sibi reviviscere videatur; urbes videlicet, valles, maria, itinera cet. Thesauros dixerim sat nunquam aestimatos ex litteris Stae. Paulae ad Marcellum expromtos, necnon ex dissertationis epistulis Sti. Hieronymi vel ad Dardanum *De Terra Promissionis* vel ad Paulinum (ep. 58) vel ad diaconum Savinianum (ep. 147) vel tandem ex commentario ejusdem in Ezechielem (cap. 47, vv. 15-20). Si modo adjunxeris annotationes auctoris in universitate Herbipolensi professoris textum velut sidera conlustrantes, typorumque simul ac chartae conspexeris pulcritudinem doleas porro moles libelli quam sit exigua.

**G. Zarandella:** *Lettere Scelte di Giov. Crisostomo.* Torino, Soc. Ed. Inter. 1933, pag. 116.

Inter omnes constat et nitidiore et Attico stylo cuncta opera elucubrasse Lumen illud Orientis; omnemque personam ipsum egisse: hic plane Ascetam, illuc Apostolum, alibi Martyrem. Cum enim «omnibus omnia factus esset» D. Pauli premens vestigia, modo solacium adferebat in obitu filiae Onesicrati, genetrici ejus, modo Elpidio amico Episcopo sese memorem amici exhibebat, modo litteras dabat Presbytero cuilibet, vel etiam diacono, et ceteris sese subtrahens nemini. Quid ergo mirabere si Sanctus Aquinas fortunatior sibi existere videtur cum suis Horniliis Chrysostomi, quam si urbis dominus nucuparetur Parvissorum? Satis jam per se lucida argumenta Chrysostomi, lucidiora fiunt hoc in fasciculo perspicuis disertis G. Zarandella adnotationibus.

R. CASALS, C. M. F.

**Hunger - Lamer:** *La civilización del Oriente antiguo.* — **Lamer:** *La civilización griega.* — **Lamer:** *La civilización romana.* 3 vol. versión del alemán por el Dr. D. Miral. — Ed. Gustavo Gili. Barcelona.

In his tribus voluminibus tradit clarissimus auctor, populorum Orientium, magnae Graeciae, aliaeque Romae artium institutionumque progressum heaque copiosissimis imaginibus illustrata. Cura enim praecipua auctoris in selectione imaginum sita est, eas omitendo quae maxime sunt pervulgatae, eas exprimendo quae in museis diligentius adservantur, vel quia praestantiores vel quia his nostris temporibus sunt effosae. Unde fit ut in hoc opere plus figurae deceant quam litterae, nam primum volumen figurae 193 continent, paginas autem 208; alterum paginas 192, figurae 158; tertium demum figurae 166, paginas 192. Quae cum ita sint opera illa nostra non egent laude quod ipsa sponte sua laudentur; tamen auctori clarissimo atque Dr. Miral interpreti fidelissimo admirationis testimonium exprimere nobis liceat atque tribuere.

**M. Gaite Campo:** *Enseñanza del Latín.* Palencia, 1933.

Oratio videlicet aditialis cursus 1933-1934 Pallentiae in Seminario habita. In ea opinionem profert auctor de usu Grammatices Latinae deque ejus virtutibus, de exercitiis gymnasialibus i. e. de scriptione atque interpretatione, denique de dictionariis seu lexicis adhibendis. Hujus fasciculi lectionem non possumus professoribus non commendare, his maxime qui sese informare cupiunt de ratione bene docendi linguam Latinam.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

**David Rubio, O. S. A:** *Classical Scholarship in Spain.* Washington D. C. 1934, pp. 205.

Ambabus plaudendum est manibus auctori qui Hispanorum gloriae apud ex-

teras gentes grande hisce pagellis exstruxit monumentum, in aevum non periturum. Porro, prius historiam adstruit nostrarum litterarum jam inde ab anno a. Chr. natum 250 per tot saeculorum tractum usque ad XV. Dein, ne uberrima nominum copia confusionem pariat, indicem confecit, ordine alphabetico per saeculorum seriem dispositum, in quo institutiones laudat et auctores qui classicis litteris quoquo modo operam navarunt. Neque mirandum si quae nomina calamus fugerint auctoris quod ipsius laudem non auferet ne minuit quidem, cum hujuscemodi omissions in id genus elenchis non possint non inveniri, praesertim cum noster «*Rubio*» primus tantum laborem suscepit evulgandum

Aliqua nomina quae illic praeteruntur videsis apud *Gener*, pags. 85—95. Neque apud nostros Missionarios viri defuere qui optime de Latinis litteris meruere, uti C. Girbau quem Latinitatis amatores norunt ex ejus «*Tesoro del Humanista*», alii insuper sunt qui protestant in nostra PALAESTRA LATINA a. IV pag. 124 et seq.

LEANDER FANLO, C. M. F.

**P. Antonio Guasch, S. J.** *Primer Libro de Traducción Griega, o sea, Sentencias Griegas, sacadas de autores griegos y Santos Padres.* Segunda edición, mejorada por J. M. de Oleza. S. J. Barrià.

Haec altera editio operis *Florilegio de sentencias griegas*, quod ad alumnos primi cursus linguae Graecae conscriptum est, sententiis abundat accurate selectis et ordinatis. Praeter exercitium praeliminare, triplici sententiarum serie constat, adnexa interpretatione et analysi, apendice de exercitiis compositionis ad aulas. Clauditur opus vocabulario Graeco-hispanico et Hispanico-graeco. Florilegium correctione et venustate et ratione paedagogica ornatum, amplissimam promeritum est commendationem clarissimi Prof. Universitatis Barcinonensis et nostri amicissimi Doctoris Ludovici Segala.

**L. Cecili Firmià Lactanci.** «*La Mort dels perseguidors*». Versió, pròleg i notes de Xavier d'Olot, caputxí, Barcelona 1933.

Illustris ephemericus *La Paraula Cristiana* lectoribus Catalaunicis offert primam interpretationem operis Lactantii «*De Morte persecutorum*», quod sequuntur quatuor *Acta Martyrum Africanorum*. Opus Lactantianum quod in eximis operibus litterarum Christianarum est adnumerandum, notior est quam ut in eo recensendo immoremur. Innuere sufficiat Lactantium jure ac merito *Ciceronis Christiani* nomine decoratum esse, ob dictionem vere litterariam et dicendi rationem fere dramatcam. Interpres vestigia pressit Lucae de Regibus et Presenti, prae oculis habens codicem Parisiensem (saec. XI); in actis vero martyrum textum Knopf sequitur. Editio admcdum excellens est et aestimanda.

J. PASTOR, C. M. F.

**Eutrope.**—*Abrégé d'Histoire Romaine*. Traduction nouvelle de Maurice Rat. Garnier, Paris.

Eutropius, *Historicus saeculi quarti post Christum*, ut omnibus notum est, scripsit *Breviarium seu compendium Historiae Romanae ab Urbe condita usque ad obitum Joviani Imperatoris*; quod opus Valenti dicavit, quo hortante conscripsisse dicitur. Fontibus utitur Livio praecipue et Suetonio. Simplicitatis laude commendatur, unde alumnis historiae Romanae studentibus maximo est emolumento, praesertim interpretatione et annotationibus geographicis et historicis quibus editio coalescit.

X. SURRIBAS, C. M. F.

**Bailly-Cicéron,** *lettres familières*, II, L. VII—XI, Garnier.

In numero 35 Palaestrae Latinae p. 155 notam aliquam bibliographicam tradidimus de primo volumine epistularum Tullii *ad familiares* apud Garnier editum; alterum volumen in praesentia lectoribus offerimus libros VII-XI complec-

tens, atque ab eodem auctore gallice translatum ac notis collustratum. Optima quidem versio, ut in primo volumine notavimus; non semel tamen auctor integrum Ciceronis sensum haud ita fideliter reddit, totamque orationis vim non semper accuratius exprimit.

**F. Richard-Cicéron, Brutus et la perfection oratoire**, Garnier.

Tullius, Pharsaliae victoria a Caesare parta, a rebus politicis secesserat, ut philosophicis impensis vacaret; ac sicut anno 55 opus *De oratore* exaraverat, ita anno 46 ante Ch. eloquentiae historiam, Latinam praesertim, posteris tradendam curavit, *Bruti* librum edens. — Optima a clarissimo F. Richard notantu de occasione operis, de personarum in dialogo electione, de Ciceronis opinione ac de recto oratorum judicio qui in opere afferuntur. — In eodem volumine versio *De optimo genere oratorum* inest, quae quasi praeftiuncula quibusdam orationibus Eschinis ac Demosthenis paeerat a Tullio latine translatis ut Atticorum in eloquentia doctrinam proponeret. Clarissimus Professor quod appeti erat, certe assecutus: «Le traducteur actuel serait heureux qu'on reconnaît à son modeste travail, les qualités obligatoires d'exactitude et de fidélité.»

J. M. MIR, C. M. F.

**J. Bonsirven, S. J. Les idées juives au temps de Notre Seigneur**. Libr. Blond et Gay. Rue Garancière, 3, Paris (VI).

En opus parvae quidem molis sed magni ponderis quod tum S. Theologiae et S. Scripturae magistri tum verbi Dei contionatores indubitanter plurimi facient. Hoc volumen specimen est paucis contrahens magnum opus «*Le Judaïsme palestinien au temps de J. Ch.: Sa Theologie*». Qua eruditione, quave scientia opusculum conscripsérunt auctor, non est cur praedicem cum P. Bonsirven ex sese sit apprime notus.

Notatu dignissimae sunt quaestiones de schatologia et messianismo.

**P. A. Boudon: «Verbum Salutis»** Commentaire du N. T. Ed. Gabriel Beuchesne, Rue de Rennes 117. París.

Ex meritissima collectione biblica «*Verbum Salutis*» nuper ad nos misit editor Volumen VII, versionem continens ac commentarium Actuum Apostolorum. Hujus commentarli scopus sicut et totius collectionis satis indicant haec nuntiil verba: «*c'est pour répondre à un désir souvent exprimé par des laïs aussi bien que par des prêtres...*» Toto vero in operis cursu liquet auctoris de re bibliographica, introductoria et exegética accurata investigatio necnon exegeterum cognitio classicorum. Commentarius non versiculos sejunctim ut collectio «*Études bibliques*», sed pericopes explicat simili ratione ac «*Cursus S. Scripturæ*» P. Cornely, Knabenabauer et Hummelauer.

Collectio anno 1924 incopta, studiis ditatur in IV J. Ch. Evangelia atque in Parabolas, quibus demum accessit commentarius in Actus Ap. P. Adriani Boudon S. J.; qui etsi nobis videatur apprime fundatus, in omnibus tamen non laudamus ut cum de interpretatione agit Ac. II, 4, (p. 29, 32) et XIII, 3, (p. 266-67) aut de conversione S. Pauli (p. 571).

M. CODINA, C. M. F.

**G. D'Amico Orsini. Il libro VIII Dell'Eneide (commento)** Firenze, Le Monnier, 1931.

Innumeræ fere de Vergilio Marone bibliographiae, haec, bibliothecæ Henrici Bianchi, commentaria, non sine magno honore adscribenda sunt. In libello hoc qui nunc mihi venit commemorandus, notulæ Italice conscriptæ de historia et grammatica infra textum Vergilianum, plus quam dimidiā, ut in pluribus, paginarum partem capiunt. Neque tacendus longus de Vergiliiana poesis vi et natura prologus. His accedit quod quibusdam non paucis personarum rerumque veterum picturis — quae quidem in ceteris de Vergilio commentariis desiderantur — libellus iste locupletatur.

L. FANLO, C. M. F.

## Exercitationes Scholares

**Nutrix ejusque pusio.** — I. Fuit quondam senex baccalaureatus. In familia ejus pusio erat altus a nutrice. Quondam puerulus nihil aliud quam se agitabat; quantumvis mulceretur non dormiebat.

Nutrix, cum omnes rationes frustra exhausisset, seni baccalauroato inquit: praesta nobis librum! Baccalaureatus irridens dixit: Non cognoscis nec litteram *i* et librum petis? — Nutrix respondit: O, pro puero posco: haud ferendus est: non dormit.

Animadvertisi enim te, cum librum cepisti, continuo dormire; si ergo do puerulo librum, nonne ipsum effectum experietur?

MARTINUS MARCH, C. M. F.  
(*Cervariae*)

II. Baccalaureatus quidam vetus erat. In ejus familia quidam puerulus a nutrice alebatur. Puer quadam die nihil aliud quam se agitabat; etiamsi mulceretur vel etiamsi illi delicias ficeret non obdormiscebat. Nutrix omnibus rationibus absumptis, baccalaureato dixit: Praesta nobis librum; vel precor, librum nobis da: Baccalaureatus ridens dixit: litteram *i* ignoras, librumque petis? Nutrix respondit; puerulo est; haud ferendus, non obdormiscit. Egomet ipsa animadvertisi te obdormiscere dum librum sumis: si ego do aliquem puerulo; an non eudem effectum experietur?

MARIANUS GARCIA, C. M. P.  
(*Segoviae*)

**Nutrix et puerulus.** — III. Erat quidam baccalaureatus aetate jam proiectus. Apud eum erat etiam puerulus a nutrice altius. Quadam die puerulus iste nihil aliud quam se agitabat, nec quamvis mulceretur dormiebat. Nutrix, exhaustis omnibus rationibus, rogavit baccalaureatum ut vellet sibi aliquem librum praestare. Cui ridens baccalaureatus: — Nullam cognoscis litteram *i* et librum a me petis?

Nutrix respondit:

— Non mihi, sed puero est; haud ferendus est; non dormit. Animadvertisi te, vix manibus capientem librum, dulciter obdormiscere. Si igitur puerulo dem librum, nonne eudem experiatur effectum?

PETRUS O. DE URBINA  
(*Onniati*)

IV. Erat senex quidam baccalaureatus. In ejus familia erat puerulus a nutrice alitus. Quadam die iste nihil aliud quam se agitabat; quamvis mulcebatur, non dormiebat. Exhaustis omnibus rationibus, nutrix seni baccalaureato: Librum, ait, nobis praesta. Irridens baccalaureatus dixit: nec litteram *i* cognoscis, et librum petis? Cui nutrix: O, puero est; haud ferendus est, non dormit. Animadvertisi te cum librum capis continuo dormire. Si unum puero dedero, nonne ille eundem effectum experietur?

JOSEPHUS LLAMBRICH, C. M. P.

**El Teléfono y la serpiente.** — Refiérese que en las fabulosas Islas Afortunadas, hoy Islas Canarias, había algunos animales, de entre los muchos que las poblaban, que hacían uso de ciertos instrumentos de que se sirven los hombres. Así, por ejemplo, maneaban el teléfono no sólo el mono, el papagayo y el perro, algo instruidos por su convivencia con los hombres; sino también el milano, el águila, la poloma torcaz y la cabra, incluso el jabalí.

Y un día, hasta la misma serpiente tuvo la osadía de pedir el auxilio al teléfono para una obra benéfica, según ella decía. Más el teléfono, ardiendo en ira, le dijo: ¡Marcha de ahí, insolente vete en mala hora! Tú siempre eres truhán de tu boca nada puede salir sino mentira, malicia y astucia.

Conviene evitar el trato con el maligno, aunque alguna vez aconseje bien.

BENEDICTUS A BELTRÁN  
(*Onniati*)

# L I N G U A P H O N E

## L A T I N U M O P E L I N G U A P H O N E

Introductionem constituit probatam, ad Latinitatis studium facile reddendum atque jucundum, phono-grammatum apparatus atque eorum collistratus textus

L I N G U A P H O N E

## G R A E C U M O P E L I N G U A P H O N E

Si vivam reddere velitis classicam Graecorum Lin-  
guam, auscultate Graeca phonogrammata cum  
respondentibus textibus Demosthenis, Sophoclis,  
Homeri, Pindari editis a

L I N G U A P H O N E

## X X I I L I N G U A E O P E L I N G U A P H O N E

Si discere vel perficere vos velitis in qualibet ex 23  
praincipiis linguis nostrae aetatis cultus, responden-  
tem adquirite earum apparatus

L I N G U A P H O N E

Petite hoc ipso die catalogum ab  
LINGUAPHONE. - VIA VALENCIA, 245. - BARCELONA

*Nomen tuum* .....

*Via* ..... *Num.* ..... *Oppidum* ..... *Natio* .....